



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 11. De Commissario Camerae Apostolicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

sus, nec esculentum aut poculentum accipere possunt sub pœna infamiae, privationis officii, & inhabilitatis. Paulus V. l. c.

6. Reos nec ipse Procurator Fisci nec ejus Substituti interrogare, aut testes examinare possunt, nisi in præsentia Judicis; Neque dare possunt mandata voce vel in scriptis de capiendo quempiam, nisi in periculo fugæ & Judicis absentia. Non tractet Procurator de compositione cum ipsis reis, sed expeditioni causarum incumbat; Si reus compositionem petat, fiat cum interventu Judicis. Neque etiam Procurator quavis ex causa quiequam à Substitutis suis recipiat, sed omnia emolumenta illis liberè & integrè relinquat. Si Substituti illi ad reformandos processus extra Urbem mittantur, ultra victus & equorū impensam debita quoque & taxata viatica nil recipere possunt. Paulus V. l. c.

§. II.

## De Commissario Camerae Apostolicæ.

1. Qualis Commissarius esse debeat.

2. Quod

2. Quod officium illius.
3. Habet curam Archivi Camerae.
4. Quo habitu utatur, & quem locum occupet in actibus publicis.
5. Nunc auctoritas cum functione diminuta est.

## I.

**C**ommissarius Camerae Apostolicae debet esse Clericus vitae & morum probitate praeditus, utriusque vel alterius Jurium Doctor, estque verè familiaris & commensalis Papae *Sixtus V. Const. 14. Ad excelsum.*

2. Tractat & exequitur ea Camerae negotia, quae ad judicia non pertinent; Praest exactionibus publicis, vectigalibus annonae, cuedendae pecuniae, aliisque negotiis Cameralibus. *Vestrius l. 2. c. 10.*

3. Commissa quoque est illi administratio Archivi Camerae Apostolicae, & procedere potest contra detinentes, & non revelantes scripturas Camerae in toto Statu Ecclesiastico viâ executivâ & manu regiâ. *Sixtus V. l. c.*

4. Gestat habitum in Camera, aliisque actibus Cameralibus & carcerum visitationibus à Clericis, Praesidente, & aliis Praelatis Cameralibus deferri solitum,

litum,

litum, & in Camerâ immediatè post ipsum Præsidentem, ac in carcerum visitationibus post Clericum carcerum Præsidentem, in Capella autem Pontificâ, & Consistoriis publicis, processionibus, equitationibus, aliisque actibus, tam publicis quàm privatis in loco Palatii Apostolici Auditoribus, ac dictæ Cameræ Clericis assignato immediatè post illos sedere & incedere concessit *Sixtus V. citatâ Const. 14.*

5. Verum hodie non intervenit visitationibus carcerum, & ut testatur *Vestrius l. c. c. 10.* omnia ferè quæ ad Officium Commissarii (quod nunc quoque conceditur ad nutum Pæpæ non ad vitam) pertinebant, Gubernator Urbis, Thesaurarius, Præsidentis Fiscique Procurator exercent, ut Commissarius solum adsit cum Thesaurario rationibus, quæ de proventibus & bonis Camera-libus dantur, easque revideat; Gaudet Privilegiis Clericorum Cameræ, & nihil solvit pro expeditione literarum sui Officii *Sixtus V. l. c.*